

In Dei nomine, ego Agnes, Dei gratia Sancti Danielis abbatiſſa, communi tractatu et deliberatione tocius capituli noſtri et ad uota et preces duarum ſororum noſtrarum, Stephanie et Marie de Palera que ſuo laudabili ſtudio ac labore non modico et de noſtra licentia honorem iſtum de quo ſequitur adquiſierunt, gratis et mere liberalitatis titulo damus et in perpetuum assignamus quosdam manſos noſtros et prouentus ſiue redditus alios noſtros ad opus infirmancium ſororum et officium infirmarie, uidelicet manſum Iohannis de Muſcheris qui eſt in parrochia Sancti Felicis de Celrano et manſum Arnalli de Abbadenches qui eſt in parrochia Sancti Saturnini de Palatiolo et duos manſos qui uocantur de Nogera qui ſunt in parrochia Sancti Felicis de Bedda et manſum Guilielmi Enge, qui eſt in parrochia Sancti Iohannis de Molleto et duos manſos de Conco qui ſunt in parrochia de Bedda et ſi quid amplius per diligenciam et ſollicitudinem ſuam adquirere poterunt uel illi officio datum, diſmiſſum ſiue oblatum quoquo modo fuerit ab aliquo, totum ſit eiudem officii ſcilicet infirmarie, ita ſiquidem quod quecumque poſt mortem ipſarum ſororum officium infirmarie tenuerit incrementum illud et totum predictum honorem et redditus omnes prenomiſatos ad opus et uſum infirmancium et predicti officii irreuocabiliter accipiant in perpetuum et fideliter expendant, nec nos uel abbatiſſa aliqua poſt nos ſiue etiam cellararia poſſimus unquam aliquo iure uel aliquo caſu ſiue occasione aliqua dictum honorem uel res que illi officio date, diſmiſſe ſiue oblate fuerint uel officium infirmarie nobis occupare aut retinere, ſed mortuis prefatis ſororibus Stephania et Maria de Palera de bonis ſibi a Deo collatis et deliberatione ſui conuentus inſtituat ad hoc officium unam ex conuentu quam ad hoc officium magis uiderit utilem et ydoneam, quem honorem et res ipſius officii ac fructus eiudem ſollicite regat et congregat et ſeruicium infirmancium fideliter exerceat et procuret. Si uero unquam aliqua uiuens perſona uenire contra hoc tam piſum factum temptauerit, iram et indignationem Dei omnipotentis et glorioſiſſime ſemper uirginis Marie et beatiſſimi patris noſtri Benedicti et glorioſiſſimi patroni et defenſoris noſtri martiris Danielis incurrat et cum Iuda proditore dampnatus in infernum porcionem ſuam accipiat et carta iſta firma et inuiolata omni tempore permaneat. Eſt autem maniſeſtum quod predicte ſorores Stephania et Maria de Palera de bonis ſibi a Deo collatis et multo ac graui labore adquiſitis dederunt pro honore iſto duo milia quadraginta ſolidorum barchi nonenſium. Actum eſt hoc .VI. nonas iulii anno Domini milieſimo ducenteſimo quartodecimo.

Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 193-194